



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Homines scientia praestantes undique ad se vocat & accersit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

- restaurator, & summus fautor ac patronus. Vti
& Margareta Navarra Regina, Soror eius.
- II. Homines scientia undique accersuntur.
- III. Eum Lutherus ad partes suas traducere conatur,
& per eum Galliam totam.
- IV. Quibus artibus ad id sit usus.

I. Quo tempore novi Evægeli præcones in varias sectas distracti, Germaniã & ipsam non minus in varias factiones divisam tumultu & turbis implebant (ut superioribus libris vidimus) ac Lutherus in primis, licet excucullatus tantum Monachus, universum mundum territabat, hominum conscientias tranquillitas hæctenus, irreligiosam religionem objiciendo, vel potius impietates suas instillando: Galliæ res is Rex moderabatur, quo jamdiu vix quisquã tanto honore, uti etiã Christianissimi, & Primogeniti Ecclesiæ filii titulo dignior fuit habitus. Is Franciscus Primus fuit, non nomine tantum, sed multis quoque aliis maximo rege dignis virtutibus Primus; in quo tamen vix quidquã magis commendatur, quam quod incredibili amore, studio & benevolentia tam litteras quam literatos omnes profecturus fuit. Quod quidem in eo tanto rarius fuit ac mirabilius, quod numquam maior in Galliis litterarum ac bonarum artium ignorantia ac barbaries fuerit, adeo ut litteras scire, probri pene loco haberetur. Neque enim tum universa Galliæ Nobilitas quidquam aliud in oculis atque animo habebat, quam armorum tractationem. Hoc Julianus ille apud Balthasarem Castellionem in Aulico, Gallis exprobrat, *Francisco scilicet nondum regni habentis admoto; simulque sub eiusdem imperio meliorem & Gallis mentem & litteris fortunam spondet ac prælagit.* Sic enim ibidem loquitur. *Vitium hoc, inquit, Gallis omnibus jam familiaris est, ut litteras negligant aut etiam contemnant. Quod si tamen aliquando futurum est, ut Princeps Engulimensis (sic tum Franciscus vocabatur) regnum adificetur; magna me spes tenet, quem admodum armis in modum jam floret Gallia, sic non minus pristina litterarum ornamenta facile recuperaturam. Memini enim quicquid nuper in aula essem, audivisse me eundem, Gallorum hæc in re negligentiam ac sinisteritatem vehementer detestantem; ipsas vero litteras, solo natura instinctu, contra totius gentis mores, summis laudibus efferentem.* Vaticinium hoc non vanum fuisse, eventus docuit. Illud vero singulari quoque Dei providentia factum videtur, quod illo tempore vir omnium quos unquam Gallia produxit, eruditif-

simus exstitit, *Gulielmus Budæus*, is cuius opera potissimum Franciscus deinde in restaurandis literis est usus. Facile enim intelligebat rex prudentissimus, non minus ad conservandum imperii decus litterarum quam armorum præsidia esse necessaria: quorum utrumque ita curabat, ut integra, armorum laude manente, litterarum studia veluti de sepulcro excitaret; ut merito inde *Patris & Restaurator litterarum* dictus sit; frequenter illud in ore habens quod Comes quidam Andegavensis ad Ludovicum Caroli Simplicis filium scripsisse fertur, *Regem litterarum similem esse asino coronato.*

II. Porro Franciscus rex, incredibili, ut dicere cœpimus, restaurandarum litterarum desiderio ardens, viros doctos ex Italia & Germania non paucos evocavit, inter quos etiã fuit ille sui sæculi miraculum, Erasmus, qui humaniorum litterarum faciem pæne extinctam antea & in barbarici cineribus sepultam, in Francia rursus accendit. Quin etiam ultro magna doctorum hominum multitudo tanti regis fama excitata, in Franciam undique confluit; inter quos etiam *Lutherani* quidam fuerunt; *Luthero & Melancthone* eos quos maxime ad profectandam novam in tam fertili solo religionem idoneos judicabant, summittentibus. Ex omnibus vero Galliæ pestibus nemo magis idoneus visus est quam Bucerus, Argentinae degens: ubi prima de Galliis novis dogmatibus inficienda cõsilia procurata sunt & collata, mirifice id propositum impiorum adjuvit, quod Eodem quo frater affectu Margareta Navarra regina ardens, multos & ipsa doctissima præstantes viros ad se allexit, ac liberaliter sustentavit: in quorum numero vix fuit possibile cavere quin unus & alter Lutheranus sese ingereret, à quibus deinde reliqui etiam depravati & eadẽ lepra infecti sunt. Ex his unus fuit is, qui, ut VII. ostendam capite, primus ei qui funesto deinde patiam incedio involuit, titionem subministravit. Principum exemplo, ut fieri solet, moti proceres, plerique doctorum hominum amicitias & familiaritates sibi adungebant: ex quo factum est, ut sylvestret illud & rude sæculum, momento temporis mirabiliter omni scientiarum & artium genere, præstigata barbarie, fuerit expolitum. Sed ut olim apud Romanos sic apud nos quoque bonorum & proborum hominum genus tum defecit, quum Philosophi & Oratores frimã prodierunt, postquam scilicet vetus illa & simplex majorum virtus in loquacem quandam & abstrusam scientiam degeneravit, sic ut ars bene dicendi, bene vivendi artem sustulisse videatur, Sorbona quidem

quidem primaria non Galliae tantum, sed universi etiam orbis sacrarum litterarum schola, pluribus regi ac senatui regio demonstravit, quam perniciose in eo eretur, quod ad litterarum professionem sine delectu passim quicumque admitterentur. Neque enim periculo carere, quod Grammatici etiam faecem in alienam messem mitterent, & Theologicarum rerum susceperent tractationem. Sic enim fore, ut quisque hic Graecam, ille Latinam, alius aliam versionem exagitandam sibi sumerent, aut propriam comminiscerentur, sicque haeresos virus doctrinae suae inspargerent. O bonum & salutare consilium, si modo ei fuisset obtemperatum! Beda quidem & Quercus, uterque magni nominis Theologus (quos Genueus Ecclesiae Historia duas magnas bestias appellat) hac de re ipsi regem monuerunt: quem tamen immoderatus erga litteratos amor sic transversum rapuit, ut neminem doctrinae commendatione insignem repudiari vellet: quin etiam aliunde venientibus plerisque luculenta stipendia assignavit, disputationibus eorum ipse interfuit (Latinae enim linguae usum aliquem habebat, quamvis Historia Genevensis Ecclesiastica maternam tantum calluisse prodatur) & eorum sermonibus quum alias, tum inter prandendum & cenandum mirifice delectabatur, adeoque quoties Scholares filios suos appellabat. Quid tu, aiebat aliquando ad magnatem quendam, qui Scholam aliam inflixerat, An tu filiis meis manum afferre audes? Sane eum in animo habuisse constat, antequam moreretur, Professorum a se institutorum numerum augere, gymnasiumque amplissimum regia magnificentia edificare, in quo omne genus bonarum artium & linguarum doceretur, & ipsi Professores cum sexcentis scholaribus publico sumtu alerentur: quam in rem quinquaginta aureorum millia annuo erogaturus esset.

III. Ut vero olim Syracusanus ille Archimedes admirabilium machinarum inventor, ad earum usum nihil aliud posebat quam pedem unum & alterum solidae terrae, in quo eas statueret, facile deinde earum ope & artificio ad quaecumque pertinere ea possent, omnia ad se & quocumque vellet attracturus: sic Lutherus primarius schismatis & haeresos architectus, non sine causa sibi persuaserat si magnum hunc Principem suum fecisset, de cetero plana & expedita sibi fore omnia ad universam Franciam suis partibus adiungendam. In hoc uno omnem victoriae sibi spem positam, facile intelli-

gebat. Quare nihil aeque cupiebat, quam liberum sibi ad hunc regem sive per litteras, sive per subornatorum a se hominum sermones & colloquia, aditum parare solitus, Magnos ante omnia captandos esse, reliquam turbam facile sequituram. Sperabat enim quemadmodum Constantio Imperatore in Arrianismum lapsa, & Christiana religione a Juliano deserta, pestis eadem totum fere Imperium pervasit, sic rege hoc suae factioni adjuncto, universam Galliam Lutheranizaturam. Et sane ita est. Quemadmodum inferiores orbis caelestes primi mobilis ductum sequuntur; & tota horologii machina admirabiliter inter se connexa, unius rotae pondere circumagitur: sic Principes moribus & actionibus reliquos facile quaecumque in partem flectunt, adeo ut virtutes modo, sed etiam vitia eorum exprimere conentur, nec tam quid ab illis fieri debeat quam quid fiat, pensi habeant. Non ignorabat Lutherus, si apud ullam nationem illud verum sit quod Poeta dixit,

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus;

illud apud Gallos longe esse verissimum, ut qui reges suos paullo minus quam ipsum Deum colant, omnesque eorum actiones, tamquam simulae, imitentur. Neque enim Gallorum rex subditorum personas tantum, verum etiam ipsos animos & corda sibi habet obnoxia. Hinc etiam non Franciae modo, sed & Francorum Rex idem nominatur: quod non facile de alio quocumque inter Christianos rege dixeris. Sed, pro dolor! hunc devoti animi Gallorum erga reges suos affectum haeresis in multis novarum rerum studio captis non labefactavit modo, verum etiam paene exstinxit, ut historiae nostrae series docebit.

Porro Lutherus, qui S. illam Apostolicam Sedem evertere penitus constituerat, ut firmissimam hanc ejus columnam & fulcrum convelleret, nihil omnino diligentiae praetermisit: commoda ad eam rem occasione usus, quod plerique qui doctrinam suam vanale exposituri, in Franciam concesserant, Lutheranae essent factionis, & ab ipso quid agendum esset bene instructi. Quin etiam ipse ad Regem scribere, & una cum commendatitiis Saxoniae Ducis litteris, libros suos ad eum mittere ausus est, quod intellexisset Principem illum librorum lectione vehementer delectari: protestans interim, ut tanto facilius fidem sibi faceret, nihil se aliud spectare quam ut mundum se non a zizaniis mundetur, & Ecclesia tamquam